Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 855

Quelle:
Copyright:

Quis ille *Praeſul venerandus?* An Poetae nomen *Fidelis?* Nihil de hoc carmine *Trithemius*, nihil *Leyſerus* adſpirat. Et tamen verſus numerat 217. quorum extremi:

Ad dextram domini coniungemur uelut agni.
Tunc dabitur precium. Comitando uenite ſupremum.

Fol. 137. p. 2. *Homiliae* V. minio D. *Hieronymo* inſcriptae, quarum I. *in Feſtiuitate Sancti Michabelis* eſt e L. III. c. 18. *Commentarior.* ejus in *Matth.* a verbis: *Quod ſæpe monui* &c. ad verba: *feminarum propter angelos.* ut in Edit. *Vallarſ.* T. VII. *col.* 137. II. *in Nat. Plurimorum Martyrum* init: *Glorioſam et honorabilem lectionem ſancti euangelii quę modo ob feſtiuitatem ſanctorum martyrum lecta eſt fratres kariſſimi* &c. Exponuntur octo Beatitudines e *Matth.* c. 5. ita, ut apud nullum Homiletam me legere meminerim. Unde adſcribam interpretationem τῶ *Et cum ſediſſet*, quo alii fortaſſe facilius in notitiam Autoris deveniant: *In iſta ſede quattuor ſignificantur. id eſt humilitas chriſti. & indicium iudicandi. & ſtabilitas eternitatis eius. et humana natiuitas.* III. iterum *in Nat. plurimor. Mart.* in illud. *Luc.* c. 12. *Attendite a fermento* &c. incipit: *Preſcius ergo dominus ac ſaluator noſter multos in ſancta eccleſia aduentantes perfidos et impios homines* &c. Si paullum legendo progrediaris, in *Bedae Commentarium in Lucam* c. 52. incidis, ut edit. *Colon.* T. V. 1688. *col.* 436. f. hic in Homiliae formam coaptatum et interpolatum. IV. rurſus *in Nat. plurimor. Mart.* in illud *Luc.* 6. *Deſcendens Jeſus de monte* &c. incipit: *Laudabilis et glorioſa uirtus ſanctorum fecit hodie copioſum ueſtrę caritatis eſſe conuentum.* &c. Etiam in hac Homilia multa delibata ſunt e *Bedae Comment. cit.* c. 21. 22. edit. *cit. col.* 284. V. *in Nat. vnius Martyris.* in illud *Matth.* c. 10. *Qui amat patrem aut matrem* &c. incipit: *Gaudeamus dilectiſſimi* (gaudio?) *ſpirituali in beati martyris chriſti feſtiuitate quam hodierna die ſolemniter celebramus* &c. Non ultra 19. lineas progreditur; excidit enim membrana. Ceterum *Homiliae* hae tam parum *Hieronymi* ſunt, quam parum genuinum earum Compilatorem indicare poſſum.

Fol. 146. absque omni inſcriptione Expoſitio aliquot Verſuum *Ezechielis* a C. I. v. 22. *Similitudo ſuper Capita animalium* &c. quae incipit: *Haec largiente domino duobus modis exponimus* &c. atque ita *Gregorium* M. autorem prodit. Pertingit vero, ut T. I. Edit. *Maur.* a L. I. *Homil.* VII. n. 18. ad *Homil.* VIII. n. 24.

Huic Excerpto ſubjectus eſt Elenchus *Curiarum*, *Manſorum*, *Huobarum*, *Modiorum Frumenti* et *Carradarum Ceruiſe* conceſſarum, ut non dubito, a Coenobio *Lunaelacenſi*, unde Codex ad nos tranſiit, e quo nomina locorum,

συμ-